

adnexarum Comitibus, SS. et OO. Regni Hungariae ab exemplo Dialectae Anni 183²/₆ Regnum Slavoniae nequaquam cum Regno Croatiae nexum esse, verum integram Regni Hungariae partem constituere non modo statuerint, sed et usque adeo adurserint, quod in sequellam ejus contra hucdum praevigentem usum, nec gravamina Regni Slavoniae cum postulatis et gravaminibus Regni Croatiae Altissimo Loco substrata fuerint; et cum haud infundate praevideri possit, quod quaestio haec in proximis etiam Comitibus discussioni substernenda sit, quo Domini ex parte Regnorum horum exmittendi Ablegati hoc in merito plene informari valeant, Deputatio nexum inter Slavoniae et Croatiae Regna illustratura, in sequellam interpellationis SS. et OO. per Excellentissimum Dominum Episcopum et Excelsi Officii Banalis Locumtenentem Regium nominata est, et quidem sub Praesidio Illustrissimi Domini Aloysii Busan, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Consilarii Aulici et Inclytae Tabulae Judiciariae Regnorum horum Praesidis, Magnificus Dominus Nicolaus Mixich, Regnorum horum Protonotarius, Spectabiles item Domini Josephus Briglevich Inclytae Tabulae Judiciariae Notarius, Spectabilis Dominus Stephanus Kereskenyi et Spectabilis Dominus Eduardus Zerpak; cui Deputationi SS. et OO. opus etiam ellucubrandi et illustrandi meriti Contributionis Regni Croatiae detulerunt. Caeterum ne Auctoritati Banali et integrae Regnorum horum constitutionali Compagi interea etiam quaquam ratione praejudicetur, SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam esse decreverunt, quo in via Dicasteriali Comitatus Poseganum, Veroczensem et Syrmiensem sub nomeclatione Slavoniae inferioris complecti dignetur.

Articulus Duodeimus.

De Instituto Chyurgico in Academia Zagrabiensi constabiliendo.

SS. et OO. de necessitate Instituti Chyurgici in Academia Zagrabiensi constabiliendi vel ex eo, quod per tale Patriae filii, qui vel propter Cognitionem Idiomatis Patriae utiliore operam Incolis Regnorum horum praestare possunt, occasionem autem hanc condiscendi obtenturi sint, convicti, Deputationi quae intuitu Cassarum fundationalium Regni Art. nominata est, eam dederunt inviacionem, ut praeferentem Instituti praeattacti rationem habeat.

Articulus Decimus Tertius.

De Libera et Regia Civitate Segniensi.

Eo SS. et OO. innotescente, quod L. et R. Civitas Segniensis utut pro generali hoc congressu legitime evocata, propter impedimenta per Statum Militarem posita, Ablegatos ad Congregationem hanc Regni mittere nequiverit.

Licet quidem officiose id non constaret, cum tamem SS. et OO. ad retroacta tempora, quibus consimilia impedimenta per Statum Militarem reipsa posita fuerant, reflexissent, haec Ablegatorum intermissa ad Regni Congregationem